

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS ME-
DICA,
DE
LILII CONVALLIVM
EIVSQUE INPRIMIS BACCÆ
VIRIBUS,
QVAM
EX
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
DECRETO,
IN ACADEMIA
GEORGIA AUGUSTA,
PRO SVMMIS IN ARTE MEDICA HONO-
RIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORVM
RITE IMPETRANDIS,
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET
JOH. CHRISTIANVS SENCKENBERG,
MOENO-FRANCOFVRTENSIS,
IN AVDITORIO MEDICO,
HOR. CONSUET. D. II. SEPTEMBRIS M DCC XXXVII.

GOTTINGÆ, STANNO I. C. L. SCHVLTZII, Acad. Typogr.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO IN AVGVRAIS ME-
DICA.

DR.
LILLI CONVALLIVM
EIVSQVE IN PRIMIS BACCÆ
VIRIBUS

QVAM
EX
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
DECRETO

IN ACADEMIA
GEORGIA AVGVSTA
PUB. SVMMI IN ARTE MEDICA HONO-
RIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORVM
P. RITE IMPETRANDIS

PLACIDO EXAMINANDVM EXAMINI
SVMMI ET
JOH. CHRISTIANVS SENCKENBERG
MORNO-FRANCORVARTENSIS

IN AVDITORIO MEDICO
HOC CONSILIVM A. M. SVMMI A. M. DEC. XXXVII
GOTTINGÆ, Stamp. J. C. F. SCHNEIDER, Anno 1737.

Georg-August-Bibliothek
Göttingen

S. R. IMPERII
LIBERÆ REIPUBLICÆ MOENO-
FRANCOFVRTENSIS

ILLVSTRI SENATVI,
VIRIS,

GENERE, MVNERIBVS, ERVDI-
TIONE, RERVM GERENDARVM SAPIEN-
TIA, NEC NON MERITORVM IN IMPE-
RIVM ET PATRIAM MAGNITVDINE
CLARISSIMIS,

DN. PRÆTORI,
DNN. CONSVLIBVS,
DNN. SCABINIS,
DNN. SYNDICIS,
DNN. SENATORIBVS,

*Mecenatibus atque Patronis suis Optimis
Maximis,*

Submissa animi veneratione perpetuum prosequendis,

Felicitatem & Obsequia!

Ad Vos, DOMINI PATRESQUE
CONSCRIPTI, me primum omni-
um conuertere pietas jubet, dum hanc
ex more Academico Dissertationem
emitto, postque dicatum studiis privatis
silentium in publicum progredior. Con-
stat inter omnes Urbis cives, quantis be-
neficiis **ILLUSTRES ANTECESSO-**
RES VESTRI VOSQUE gentem meam
a multis retro annis ornaveritis, quæ &
in me multis modis redundarunt. To-
tum ergo **VOBIS** me debeo, inque
grati & devoti animi tesseram rei hujus
publicum hic extare volui documen-
tum, demisse precatus, dignemini illud
eadem, qua jugiter in meos meque fui-
stis, fronte excipere, atque porro favore
VESTRO me beare, qui nihil æque in

VO-

votis habeo, quam recte agendo gra-
tiam **VESTRAM** conservare, viresque
cælitus concessas in omnium & patriæ
præcipue utilitatem convertere. Faxit
SVMMVM NUMEN ut sub imperio
auspicioque vestro constanter & perpe-
tuo floreat pietas, vigeat justitia, sic in
civitate nostra & gubernacula tractan-
tibus & parentibus aderit inconcussa
salus. Durate & **VOSMET** rebus ser-
vate secundis; quod iterum apprecor

**ILLVSTRES AC GENE-
ROSISSIMI DOMINI,**

NOMINVM VESTRORVM

Cultor & cliens humillimus,

Johannes Christianus Senckenberg,

Mæno - Francofurtanus.

PRÆLOQUIUM.

Cum idoneam Dissertationi Academicæ materiam aliquam disquirerem, merito animo meo obversabatur talem feligere, ex qua utilitas aliqua in Medicorum rem publicam proximique salutem redundaret. Opportune itaque se mihi ex pharmaceutica supellectile obtulit **Lilium convallium**, de quo ex Medicorum scriptis notatu dignissima repetere, meaque nonnulla adjicere constitui; inprimis autem ad fructum plantæ, quem deposito flore profert, seu baccam, attentus ero, quam, ob virium præstantiam ab experientia hauritam, frequentius, atque nunc assolet, in praxi medica adhiberi optarem. Eo vero in hancce sententiam fui pronior, quo mihi jam inde a puero ad Botanicen investigandam hæsit voluptas major, quæ non tam in multitudine plantarum memoria haurienda consuevit esse occupata, quam quidem in indigenis Germaniæ noscendis, unde & præeunte

LUDOV. JUNGERMANN in Manipulo plantarum Francofurtensium adhuc inedito, Parenti

b. m.

b. m. meo, Dn. Ioh. Hartmanno SEN-
CKENBERG, M. D. atque dum viveret
Physico Francofurtensium ad Moenum Primario,
delineandi Floræ patriæ ubertatem labor provenit,
quem ingenii illius foetum mea ope auctum, si
DEUS vitam viresque benigniter fuerit elargitus,
suo tempore typis mandare decrevi. Collectarum
de cætero plantarum indigenarum usus therapeu-
ticus primi semper finis loco fuit, quo rite perspe-
cto, cum celeberrimis in Arte Medica viris,
Ant. CONSTANTINO, Th. BAR-
THOLINO, BORRICHIO, BIDLOO,
SIBBALDO, HEISTERO, aliis, statuo, facil-
lime nos carere posse ex disitis terræ locis undequa-
que magno impendio corrasa plantarum farragine,
non minus, quam multis pseudo-chymicorum ni-
mium artificiosis arcanis, ex triplici & minerali in-
primis familia, quæ sesquipedalibus subinde super-
bire videas titulis, non a solido rerum usu, sed
imaginatione monstris fœcunda procreatis; quæ
enim vera & naturalis chymia profert, summa
gau-

gaudent simplicitate, quæ naturæ sigillum est. Et in hoc censeo desudare debere cum primis medicorum filios, ut simplicium vegetabilium, naturæ humanæ præ ceteris regnis ut alimenta & medicamenta accommodorum, virtutes relationesque ad corpus humanum exactius norint, quo ex multiplici medicamentorum incertorum, falsorum, vanorumque copia ad paucitatem medicaminum fidorum & non magno parabilium redeant, certiusque cognitis medicamenti sui viribus tutius curent ægrotos, quo in studio anicularum rusticorumque diligentiam, immo & brutorum instinctum non spernendum esse, seduli observatores intelligunt. Hucque spectat levis hæc, quam vides, opella, pro modulo, a tenuitate virium mearum subministrato, conscripta. Fruere illa, **Lector Benevole!** & tua experientia hanc aliasque plantas magis magisque in apricum produc; in DEI gloriam, Artis incrementum & proximi emolumentum.

Vale.

SECT. I.



SECTIO I.

DE NOMINE, MODO CRESCENDI, ET SPECIEBUS LILII CONVALLIVM.

Σύνοψις.

- | | |
|--|---|
| §. 1. Lillii pretium apud Antiquos. | §. 6. Laudatur Gesneri denominatio; maxime Rivini. |
| §. 2. Speciosum illius nomen & nostra Plantæ impositum. | §. 7. Modus crescendi Lil. convall. & Character methodicus. |
| §. 3. Licet hoc minus adcurate. | §. 8. Tempus nascendi. Locus natalis. |
| §. 4. Ratio, cur in Tit. & ipsa Diff. nihilominus retentum. Synonyma alia ejusdem farinae. | §. 9. Species veræ. |
| §. 5. Cur non possit Lillium vocari. | §. 10. Earum varietates ansa nonnullis species multiplicandi. Exempla hujus rei alia. |

§. I.

Lillium suo merito Antiquis magno in pretio fuit habitum, diciturque a PLINIO *major* L. XXI. c. 5. *rosæ nobilitate proximum*. Addit: *Candor ejus eximius, foliis striatis, & ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxantibus, effigie calathæ, resupinis per ambitum labris, tenuique filo & semine, stantibus in medio crocis*. Mythologis Iunonia rosa audit, a fabuloso enim aevo, ex Iunonis lacte uberibus effuso, & galaxia in caelo orta, & in terra, ex ea lactis parte
A quæ

quæ caelo delapsa est, liliam natam perhibetur, quibus ipsis caelestibus liliæ natalibus, amoenitatem floris, qua naribus oculisque blanditur, indicare voluit. Licet enim cæli fecunditati & spermati in sinum terræ emisso, omnes in globi nostri superficie germinantes plantæ, suum debeant ortum & conservationem; in lilio tamen peculiare Antiquitas deprehendisse sibi videbatur naturæ artificium, cujus intuitu, reliquis post rosam floribus multo antecelleret.

§. II.

Specioso hoc nomine quoque plantam nostram insignire veteribus placuit Botanicis, ut ex *Ottonis BRUNFELSII Herbar. T. I. Rhapsod. 36.* liquet, licet incertum sit, quando & a quonam ita vocari primum inceperit. Et sane, si solam liliæ magnitudinem demas, nihil plane erit reliqui, quo non possit jure illi par, immo in nonnullis pulchritudine major haberi; nam etiam si, quoad odorem, saporem, olfactumque floris, eminentiam quandam prædicare verearis: Poteris tamen sine erroris metu de fructu diversum statuere, quippe qui seminalem liliæ capsulam colore rubro coralii, quo spectabilis est, medicaque virtute longe exsuperat.

§. III.

Retinere, qui secuti sunt Herbarii, hac contenti similitudine, nec de ordinato caractere ex tota planta exsculpendo solliciti, *Lilii* denominationem, quam in antecedentium operibus inveniebant, juncto, ut a lilio jam allegato distingui posset, additamento vocis *convallium* a loco natali derivato, quia locos montuosos & silvestres vallesque umbrosas & humidulas, potissimum solet incolere.

§. IV.

Hoc in pharmacopœorum tabernis usitatum nomen, in fronte Dissertationis meæ ideo collocare placuit, quia ex iis materiam elegeram. Ceterum non magis mihi probantur Recentiorum nonnulli, qui officinarum appellationem novis suis inseruere methodis, quam ii Antiquiorum, qui, Græcorum Medicorum operibus lucem affusuri, plantam nostram modo *Colchicum*, modo *Oenanthen*, *Hemerocallida*, *Ephemerum* &c. nominarunt; nihil enim inde lucis nobis accedit, quæ prævia decenter internosci plantæ queant, sed alitur potius confusio, augenturque discentium tenebræ.

§. V.

Lilium vocari herba nostra nequit, quia illud ex radice vel e plurimis squamulis minoribus, vel e paucioribus iisque majoribus coagmentata, folia multa oblonga per terram sparsa profert, e quorum medio erigitur caulis foliosus aliquot pedes altus, cujus ramulis insident flores veluti campaniformes regulares hexapetali, quorum medium occupat pistillum sex staminibus, in summitate totidem antheris ornatis, cinctum, quod denique abit in receptaculum multorum feminum foliaceorum membranaceum crassulum & tripartitum; quæ notæ characteristicæ omnes, quantum ablutant a planta nostri examinis, §. 7. ubi de illius modo nascendi agetur, dilucide patebit.

§. VI.

Proinde propius ad rem accessisse mea quidem sententia visus fuit *Conradus GESNERUS*, qui in *Hort. German. p. 265.* peculiare excogitavit nomen, voluitque

vel *Callionymum* appellandam herbam nostram, vel, si hoc fortassis magis arrideat, *Chamaecitimum*, ob cognationem floris in forma externa aliquam cum cytino DIOSCORIDIS & PLINII, seu flore Granatæ ut & Arbuti, quam quoque MATTHIOLUS in *Comment. in Dioscorid.* agnovit. Omnium vero maxime placet RIVINUS, qui in *Introduct. generali in rem herbariam*, FLOREM CONVALLIUM dixit, sicque invenit vocem, & distinctioni necessariæ aptam, & a nomine officinis familiari, quod, quia longo usu comprobatum, abjicere religioni habuit TURNEFORTIUS *Instit. rei herbar. p. 78.* non multum diversam. Germanis vocatur potissimum *Mayblümlein*, *Mayenglöcklein*; ut alia vulgo hinc inde usitata nomina taceam.

§. VII.

Ad modum crescendi quod attinet sequentia declarant: Radix, (de qua pluribus vid. CAMERARII *Hort. medic. & philos.*) perennis, tenuis, fibrosa & longe lateque serpens, profert folia duo vel tria oblonga, acuminata, lucida viriditate conspicua, inter quæ egreditur rotundus cauliculus superne triangularis, ad quem spicæ figura adnascuntur ex folliculo prodeuntes flores penduli, quandoque decem & plures numero, monopetali regulares, campanæ parvæ vel nolæ formam referentes, in summitate sex (non quinque, ut habet VOLCKAMERI *Fl. Norimberg. p. 256.*) incisuris & totidem apicibus distincti. In medio floris, ubi caulis ramusculo, ex quo egressus est, adhæret, surgit pistillum seu apex hujus ramusculi in extremitate ter sectus, quem circumstant stamina sex, totidem antheris, quadrifariam sulcatis, sulcisque lutea farina foetis, ornata, ita pulchro ordine, ut
singulis

singulis laciniæ floris apicibus singulæ staminum extre-
 mitates linea recta convenient. Stylus seu pistillum,
 quod matricis loco est, & modo dictum luteum sperma,
 ut ex Recentiorum observationibus patet, ovulis suis
 concipit, facta prægnatione abit denique in fructum ro-
 tundum mollem seu baccam, cuticula rubra investitam,
 sub qua in succo pulposo, coloris ex rubro & luteo mixti,
 latent semina, baccæ scapo in suis loculamentis circum-
 posita. Semina hæc numero interdum in bacca bene
 fœcundata undecim inveniuntur, incertæ magnitudi-
 nis, inaequaliter & in cordis ferme figuram pressa, colo-
 re pallide luteo, ea facie, qua baccæ petiolum respici-
 unt, hilo instructa. De Odore & Sapore *Sect. II.* ubi
 de viribus & usu sermo erit, disseram. Indicatis hisce
 observationibus, facile est externam plantæ nostræ dif-
 ferentiam methodicam determinare, & recentiorum
 Botanicorum alicujus sententiæ, ut libitum est, subscri-
 bere, quibus omnibus sua laus manet; mihi vero in
 genere constituendo RAII, & qui eum sequitur, BOER-
 HAAVII ordo maxime placet, ceu naturæ convenientis-
 simus, cunctaque facile exhauriens quæ alit forma
 plantarum externa, ex quo *annumeratur Flos convalli-
 um, herbis bacciferis, fructu racemoso, flore monopetalo
 campaniformi, in sex lacinias diviso, pendulo, spicato, abe-
 unte in baccam mollem rubram.*

§. VIII.

Odoratissimi floris tempus mensis Majus affert, cujus
 quoque nomen, quia singulare hujus anni temporis de-
 cus est, apud Germanos retinuit. Baccam Junio &
 Julio rubram succedere scribit *libro citato* MATTHIOLVS
 ut & Ioh. BAVHINVS *Hist. Plautarum T. III. p. 531.*, quod,

ut experientia docet, ita capiendum, baccam dictis mensibus nasci & augeri manente viriditate, quae non nisi paulo ante maturitatem, quæ Septembri perficitur, in ruborem abit. Amœna, quae baccæ est, corallii rubedo postremum, ubi ad extremam accessit ætatem, in xerampelinum mutatur colorem. Cæterum plantam nostram, & in ferventioribus & frigidioribus orbis plagis provenire, testantur Auctores; & ubique natalis locus non est alius quam umbrosus & nonnihil humidus, aquiloni tamen non nimium expositus, hocque si minus observaveris & nativo solo ab similem locum in horto adsignaris, flores nanciscere quidem, baccas vero nunquam.

§. IX.

Species plantae nostræ in Botanicorum scriptis diversæ inveniuntur, quas ex iis collectas legere est in DOEDERLINI *Dissertatione de Lilio Convallium*, Altorfi 1718. habita, suntque resectis erroneis sequentes:

Flos convallium albus minor vulgaris.

Flos convallium minor carneus. Huius radix rubet, quæ in ceteris semper alba est, & in hortis quoque colorem hunc constanter servat.

Flos convallium major Alpinus, in fundo rubra macula notatus. Indicavit hunc quidem, sed a vulgari non satis distinguit THEODORUS *Tabernemontanus*, addens maculam interdum huic speciei esse auream, quæ forte recte imperfecti-
oni cuidam tribuitur, cum ruber color dilutus, aureum & luteum sistat. In hortis & hic flos rubrum fundum semper servat. Incidit mihi in manus cum sequente, in montosis Tractus Hunnorum silvis, aliisque. Integra planta minor est sequente, major antecedentibus. Haec, ut & se-

sequens, quia in montibus editioribus proveniunt, ubi purior, subtilior & frigidior aër dominatur, prioribus pariter odoratiores deprehenduntur.

Flos convallium maximus Alpinus albus. Hic toto habitu enarratis major est, reliquisque, cum proxime antecedente, odoris suavitate præcellentiore.

Omnes hæ species in hortis per culturam plantæ naturæ convenientem in terra pingui speciosiores evadunt, licet virtutes medicæ hoc pacto fiant minores fugacioresque.

§. X.

MENTZELII *Lilium convallium ad radicem monanthemum*, quod extat in *Pugillo rariorum plantarum*, solo naturæ lusu a vulgari differre videtur. *Angustifolium*, quod RAIUS in *Synopsi method. stirp. Britann.* affert, fortasse ætate, loci quo crescebat ariditate, cæli inclementia augmentum plantæ ordinatum infringente, vel alio quodam accidente, ab eodem abludit. Nec *Lilium convallium latifolium flore pleno variegato*, quod ex RAIO quoque retinuit TURNEFORTIUS, sub speciei peculiaris titulo, inque *Indice altero Plantarum Horti Lugduno-Batavi* BOERHAAVIUS, aliud esse autumo, quam quod mihi ordine quartum est, (ni forte tertium verius habeatur) cultura enim *Didaci* curiosa, facile potuit ad floris plenitudinem perducere, quod artificium hortulanis, in plantarum proprietatibus noscendis sedulis, non est novum, Batavis imprimis, quibus præterea natura peculiarem terram pinguem & humidam, aëremque rore copioso fertilem largita est, quæ ad hoc opus apprime faciunt. Tales naturæ excessus, nisi assidua eorum instituat observatio, admodum inconstantes sunt, nec merentur distinctæ speciei locum, uti & ante

te sexennium a me reperta Veronica illa, floribus primum violaceis, & postea per ætatem subcæruleis conspicua, partim plenis partim simplicibus, quam Patriæ vicinus montium tractus, a nonnullis pro Tauno Romanorum habitus, in suo cacumine, germanice der *Feldberg* dicto, quotannis & copiose gignit, præter monstrum nihil singularis præ Veronica officinarum vulgari alere mihi certum est, de qua olim in Flora Francofurtensi fufius tractabitur. Ejusdem indolis est Arenaria verna, fugax, glabra, bifolia *RUPPII Fl. Jenens. p. 89.* flore eleganter pleno superbiens, quam videre contigit, ut & Liliium purpuro-croceum majus C. B. P. quod in uno caule unicum at elegantissime plenum florem vidi proferre. Horum quoque in numero mihi venit Plantago, quam inveni, latifolia, spicas plures proferens, Scabiosa capitulo globofo, foliis in tenuissimas lacinias divisis C. B. *Pin. p. 271.* quam, prope Urbem patriam, proliferam semel deprehendi, ut & Succisa Alpina flore prolifero cæruleo *H. R. Paris.* Accenferi quoque hisce debet Thysselinum *RIVINI*, ejusdemque Cervaria, quæ eidem plantæ umbellis proliferis ornata mihi sese obtulere. Auricula ursi, Hyacinthus orientalis, Anemone, Tunica hortensis, quantum culturæ ministerio variant & plenitudine & colorum mistura, constat inter omnes. Multa sunt alia exempla, specierum præter necessitatem multiplicationi inservientia, quæ silentio prætereo. Colorem floris si spectes variegatum, tantum abest hunc præcipui aliquid continere, ut & hic potius culturæ sit adscribendus; notum enim est quod inter alios refert *LAUREMBERGIUS in Horticultura L. I. c. 31.* albos flores variis infici posse coloribus, prout nimirum aqueo humore multifariam tincto rigantur. In hoc vero si
acqui-

acquiescere recuses, considera porro, quid aëris vicissitudines, quid soli varietas tam contentorum ratione quam fitus versus solem in alterandis plantarum coloribus valeant, quarum nonnullas adducam. Sic Buglossum angustifolium majus officinarum, interdum ex eadem radice flores profert cæruleos, subcæruleos, rubros & carneos; Bugula Dodon. vulgaris, in pinguibus pratis coloris est cærulei, albi in montibus, carnei in locis arenosis nonnunquam occurrit, in pratis vero udis color cæruleus pallefcit; Bugula montana Rivini, in montium summitatibus alba, in solo arenoso & aprico rubra vel carnea, ut & cyanea invenitur. Cichorium officinarum flore cæruleo, rubro & carneo deprehenditur, a quibus non differt nisi accidentibus quibusdam color floris albus, quippe qui solo mutato in cæruleum transire visus est sapius, qua de re lege HENCKELII *Flor. Saturnizant. p. 384. 603.* ubi Auctor exemplum refert albi Cichorii ex agro in hortum translati, post triennium vero in cæruleum immutati. Succisa hirsuta & glabra, quæ non ita crebro obvia est, cæruleo, albo & rubello colore variat. Chamædrys quoque nota est C. B. P. 249. major repens flore albo & rubello in eadem planta, item ejusdem minor repens flore niveo *Pin. p. 248.* cujus quoque herba, si conferatur cum herba illius, cui flos ruber & subruber est, insigniter albicat, id quod & in Origano sylvestri vulgari purpureo & albo notabile est, aliisque vegetabilibus innumeris, quorum alterum altero colore stabilius. Keiri luteum magno flore simpl. & pleno RUPP. *Fl. Jenens. p. 60.* hortulanis Guldensack audiens, colore purpureo & aureo variat apud Batavos, at solo nostro mandatum florem plenum paulatim rarioribus petalis instructum, & tandem loco hujus simplicem recipit, eum-

que non amplius purpureum nec aureum, sed luteum, qualis est vulgari; & hac demum in simplicitate semina rite perficit, quæ in summa floris plenitudine ei sunt nulla. Ranunculi habemus Asiatici speciem aliquam, quæ ad nos allata primo anno florem profert luteum, morbidum, monstrosum & non plenum, anno secundo plenum ex luteo & rubro mixtum, postea vero plane rubrum plenissimum & permanentem, cum hortis nostris planta adsuevit. Betonica purpurea & alba, sed hæc rarius, invenitur. De Althæa rosea Sinensium flore simplici & multiplici ejusque coloris variatione, deque aliis in præfens nihil addo. Vid. Dn. HALLERI *Diss. de methodico studio Botanices absque præceptore p. 22.*

SECTIO II.

DE LILII CONVALLIUM PRINCIPIIS

MEDICIS.

Σύνοψις.

- | | |
|--|--|
| §. 1. Exploratio Radicis, Caulis, Foliorum, Floris & Baccæ Lil. convallium per Gustum. | §. 5. Amaritici, per misturam cum liquoribus salinis acidis alcalicis & mediis. |
| §. 2. 3. Per Olfactum. | §. 6. Partis fixioris, quæ sternutamenta movet, & totius plantæ analysis per destillationem. |
| §. 4. Partis Volatilis & | |

§. I.

Transseo, ut scopo meo propior fiam, ad Elementa plantæ nostræ hac Sectione explicanda, usus variis quæ natura & ars suppeditat adminiculis, quorum primum sit *Gustatus*. Experitur autem lingua in radice ad similitudinem radicis graminis configurata, in caule

le & foliis, si præsertim planta mense Aprili cum primum progerminat, & antequam florem fert, e terra evelatur, insignem amaritiam, quæ in flore recenti dentibus comminuto levior multo deprehenditur, quam in siccato. Baccæ, de quibus hic maxime agitur, pulpam præbent & acinos; illa sapore donata est subdulci & aliquantum amaro, hi vero partim ut radix & folia, sed magis, amaro, partim cum lentibus, pisibus, similibusque leguminibus communi. Pulpa salivam luteo colore inficit, ut Ari baccæ Augusto maturæ, aliæque.

§. II.

Olfactus organon singulari jucundissimoque odore flores afficiunt, qui vero ipsi seminali sua, quam exhalant, aura, justo affluentius hausta, cumque sanguine communicata, vasa nimis expandendo ac imprimis cerebri arteriosa, lædere possunt & quasi inebriare, & omnium quidem facillime hypochondriacos hystericasque, quibus, ob ademptum lumen & inde natum inquinamentum humorum mucidum, vasa extima minus pervia corporisque peripheria obstructa est, hincque aër quoque vitalis ob secretiones & excretiones retardatas indigestus & crassus, jam antea in toto corpore dominatur; quod celebris quidam medicus in se ipso expertus est, cum florum recentium copiam in cubiculum importasset, ea enim nocte temulentia illum ingens incessit, fuissetque ei metuenda suffocatio, ni a suis in purum aërem esset delatus. Notandum hoc ipsum est de Lilio albo, floribus Iasmini, Hyacinthi Indici tuberosi, Mali Aurantiæ, aliisque suaveolentibus. Continet quoque tale quid radix Angelicæ, quæ si recens & nativarum virium plena spiritu vini extrahatur, moschum olet, quo odoramento delectatis nonnullis, eodem plane modo hac extractione

captatos pedes comperi, acsi vino liberalius se ingurgitassent. Et minime dubitandum est, quin artificibus, quos vitæ genus odoribus alligavit, maxime, si noevius graveolensque alius, qualis carbonum candentium est, accesserit, & qui inter se, excepta parcioris salis volatilis mediæ naturæ accessione, sola subtilitate & crassitudine differunt, creber eorum haustus officiat, caput potissimum, spirituum officinam, adoriendo, & phantasiâ moresque pervertendo, ita ut subinde non difficile sit cui arti addicti sint, hariolari. Vid. RAMAZZINI de *Morbis Artificum* cap. XIII. HOFMANNI *Diss. de Opiatorum operandi ratione*. §. 20. & quæ præterea ex variis Auctoribus congefist exempla E. KOENIG R. *Vegetabil. P. I. p. 586. seq.* Sed redeamus ex diverticulo in viam, & adhuc annotemus, suavem, quem diximus, odorem, concisis & contusis floribus in ingratiorem abire, cujus hæc videtur esse ratio, quia eo pacto minuti eorum tubuli dilacerantur, & grossiores cum tenuioribus particulæ, soluta compage in auras rapiuntur, naresque simul feriunt. Baccæ integræ non olent, si vero in pulverem redigantur, est illis quoque proprii plantæ odoris aliquid, sed is, quia crassiores baccis insunt particulæ, non ita suavis, pulpæque tantum tribuendus, nullus enim notabilis in semine, cujus sub ossea duritie fixum totius plantæ compendium latitat, occurrit odor, cum siccum est, ejusque principia menstruo aliquo nondum soluta.

§. III.

Neque silentio prætereundus est errhino-ptarmicus effectus, quem naribus immissi siccati flores, &, teste CAMERARIO *libro supra citato*, radices quoque exerunt. Adde hisce & baccas, quarum pulvis idem, ut inveni, præstat.

§. IV.

§. IV.

His præmissis apparet, tria præcipue in planta nostra esse attentione digna, primum *Volatile*, unde odor, deinde *Amarorem*, præterea fixiores illas partes a quibus *Sternutatio* dependet, in quorum naturam curatius inquirendum est, quo limpidiore postmodo evadant virtutum fontes. *Volatile* principium, quod primo loco considerandum, natura plantæ nostræ floribus præcipue largissime impertita est, mereturque nominari spiritus ei peculiaris sulfureo-salinus, seu aura seminalis subtilissima & fugacissima, quæ flore aperto sub prægnationis actu copiose in aërem evaporatur. Ex resolutio tenuissimoque oleo, quod & sulfur Physicis audit, constare hunc fragrantissimum odorem, dubium esse nequit animadvertenti, odoratis omnibus commune oleum innumeris modis partibus eorum intertextum, quod, cum perit ejus subtilissima pars seu spiritus rector, nihil jam in universum proprii plantæ odoris ostendit reliquum. Olei hujus pars tenuissima, vi calidi aëris in subtilissimas particulas diffusa, nulli paret arti aërique relinquenda est, pars paululum crassior liquori inhærens aquam & spiritum constituit, subtilium terrearum vero tenaciumque particularum vinculis implicita, sub pingui forma oleum sistit ætherium. Sub pellicula baccae latens pulpa spiritus hujus portionem quoque accepit, sed fixioribus partibus irretitam, quæ eo magis se manifestat, si baccarum pulverem vitro orificii angusti conclusum naribus applicueris, & præterea, si eundem convenienti menstruo resolveris. Nec eo carent acina, licet sub densiori eorum coagulo non ita aperte olfactui sese offerat, nisi pariter solvente emolliantur, quod & de radice est tenendum. Præter oleum, & salenixum subtilissimum, natura

turalem volatilis plantæ ingreditur compositionem, quod eadem qua oleum rapiditate aufugit, ut adeo mirum non sit odoratissimi hujus oleosi & salini spiritus in floribus siccatis nihil remanere, quale dispendium nativarum virium in floribus Violæ martiæ, Citrei fructus corio, herba Cochleariæ, exsiccatis, consimilibusque etiam experimur, perspicentes quid ex iis ad usum medicum redundet, si ex siccatis volatile destillando extrahere sit animus. De facili fragrantia ex sale volatili hoc oleoso natæ destructione per acida & alcalia, §. seq. aget.

§. V.

Secundo *Amarities* plantæ nostræ inspicienda est, quam omnes ejus partes fovent, ut §. I. vidimus. Naturam hujus qualitatis ut eo distinctius capere possem, experimentis opus fuit, quæ in sequentibus proponam. Affudi nimirum baccarum, quæ amaritie reliquis plantæ partibus antecellunt, pulveri Spiritum Vitrioli, atque animadverti, amaritiam cum odore hinc plane sublatam, quod & mihi accidit pulvere cum Aceto Vini forti digesto. Pariter essentia cum spiritu vini rectificato extracta, instillato Vitrioli Oleo, amaritiam deposuit, ut & pulvis cum menstruo hoc duplicato digestus. Eundem pulverem optime saturato Salis Tartari lixivio, cum aqua pluvia parato maceravi, calore debito adhibito, & amarorem pariter omnem cum maxima odoris parte sensi deperditum, quod & cum Spiritu Salis Ammoniaci, tam per sal alcali fixum quam per calcem vivam destillato, instituta bacca præparatæ extractione, fiebat, hoc unico excepto, quod hic odor plane periret. Residuum ex omnibus hisce tentaminibus aqua elutum, nil nisi terra erat inanis & vacua. Adhibui postea quoque Salia Salsa.

Pri-

Primum inter ea locum tenebat Sal Ammoniacum, cujus flores per solutionem & depurationem aqua pluvia resolvi, baccaſque in pulverem redactas ſalino huic liquori conjunxi, qui, facta leni in vitro clauſo digeſtione, praeter ſuam ex ſale ammoniaco acrimoniam, nativam pulveris amaritiem odoremque exhibuit. Secundum ex ſalibus mediis erat Terra Foliate Tartari, quæ aqua pluvia ſoluta, eundem in pulvere baccaſiſtebat effectum. Arcanum hoc tartari ſal ſequebantur Salia Amara, quorum e numero ſelegi Sal Sedlicenſe, Sal Mirabile GLAUBERI, tam ex nitri quam ex ſalis communis terra acido vitriolico connubio juncta generari ſolitur, & Sal Polychreſtum SEIGNETTE (*), obſervavique, eorum omnium ſolutionem, eodem modo praeter ſaporem ſibi congenitum in extracto continuiſſe proprium baccaſi amarorem & odorem. Quoniam itaque hinc pateſcit, acidis & alcalibus puris amarum cum odore deſtrui, mediæ vero naturæ ſalibus ſociatum ſervari; ſufficientem colligendi rationem videbar mihi conſecutus, mediæ naturæ ſal quoddam in compositionem herbæ noſtræ ingredi, cui, accedente ſulfureo principio, natales debeat ejus ſapor.

§. VI. Tertio

(*) Salis hujus (de quo praeter alios, nonnulla vid. JUNKERI *Chemia T. I. p. 557.*) descriptionem, quia non omnibus nota eſt, occasione oblata, cum Benevolo Lectore communicabo: Recipe Sodæ Hiſpanicæ libras duas, Cremoris Tartari libram unam, Olei Vitrioli uncias ſex; ex ſoda Hiſpanica per ſolutionem cum aqua communi fac lixivium, filtra, ut carbonες ceteraque ei inhaerentia heterogenea ſeparentur. Huic lixivio vaſi ferreo inuſo, ad ignem bullienti, adde paulatim
ere

§. VI.

Tertio in Lilio convallium notabile est, quod *Sternutamenta* evocet, & cum hic effectus inter ipsum & alias plantas communis sit, ex. gr. Arnicam SCHROEDERI, Afarum, Majoranam, quibus ficcatis odor suus manet, indicatque ex alia partium miscela fixius sui generis sulfur copiosioresque & nonnihil stabiliores salinas volatiles acres particulas obtigisse, videndum unde in nostra planta sit derivandus, cui ea vis inhæret, etiamsi, simul ac fuit ficcata, suam fragrantiam deposuerit. Sternutationem vero a sale plantæ provenire, jam

cremorem tartari, parique modo oleum vitrioli instilla, donec in fine operis omnis inter mixta pugna cesset, observesque gustu, debitam amaritiam ex contrariorum justo pondere junctorum unione prognatam. Lixivium hoc inspissa ad ficitatem, salque remanens in crucibulo leniter calcinatum aqua solve, evaporanda, donec cuticula appareat. Hoc facto ad aërem frigidum crySTALLIS concresecet magnis angularibus, quas ficcatas usui servabis. Potest quoque tali medio ex tartari cremore & soda Hispanica parato, sub calcinatione in crucibulo addi oleum vitrioli. Docet vero idem sal faciliori via componere NEVMANN in Tr. von denen IV. subject. chymicis, Nitro, Sulfure, Antimonio und Marte. p. 92. ubi de nitro agitur, nempe ex nitri, sulfuris, crySTALLORUM tartari anatica portione mixtis, in crucibulo successive detonatis, & de reliquo, ut dictum est, tractatis. Sed optimus sal hoc parandi modus est, ut recipiatur ad lixivii sodæ Hispanicæ, bene per filtrum depurati, tantum cremoris tartari, quantum sufficit ad saturationem perfectam, observando porro, ut copia majori semper præparetur, nec nimium humidi evaporetur, quo crySTALLI magnæ possint generari.

multa angulis polygoni

jam non amplius est obscurum, huncque mediorum ordini accensendum esse, chymica demonstrat analysis, a WEDELIO, cujus vid. *Compend. chymic. p. 49.* in floribus siccis instituta, hujus enim ope facta igne arenæ per retortam vitream destillatione, spiritus salinus volatilis & nonnihil acidus cum oleo empyreumatico, multo pariter sale volatili instructo, in conspectum venire, ex quo etiam elucet, esse sal hoc alcalicum magis quam acidum, acidumque solummodo inservire urinoso paululum ligando, quare & secundum observationem BURDELINI, dans l'*Extrait des Registres de l'Acad. Royale des Sciences*, TURNEFORTIUS *Hist. des Plantes des Environs de Paris. p. 485.* aliquantum cum sale ammoniaco convenire recte asseruit. Quamvis enim post longam florum macerationem cum copioso sale volatili & oleo multus acidus liquor emergat; is tamen partim magis videtur artificiosæ fermentationi internæ & miscelæ resolutioni physicæ natales debere, quam integris floribus, ex quibus de specificis virtutibus medicis judicandum. D. Et salis partem maxime volatilem sulfurque subtilissimum, adunata, tempore florendi planta nostra cum aëre hausto expirat, naribusque gratissimum sal volatile oleosum sistit, reliqua vero fixiora retinet acidis & terreis detenta vinculis, quæ in arillis bacca præ reliquis plantæ partibus potentia. Nullum profecto ex solventibus §. *anteced.* allegatis in baccarum extractione salis ammoniaci depurati solutione aquea exactius protulit plantæ odorem, quia salinæ particulæ hujus salis in digestionem levitatem per aquam nactæ cum sulfureis simul evolare, quæ elevatio salis ammoniaci a nemine, credo, in dubium revocabitur perpendente adhuc quod mihi accidit, ipsum nimirum

sal a destillatione spiritus salis ammoniaci urinosi, facta cum cinerum clavellat. justo pondere, residuum, à SYLVIO digestivum vocatum, cum, aqua simplici solutum vitroque amplii orificii ultra dimidium repleto infusum, fasciculo chartarum forte opertum aliquamdiu relinqueretur, contraxisse volatilitatem, multaque fasciculi folia penetrasse, ita ut sal superius, quod imbiberant, ejusdem cum inferiore in lixivio contento esset saporis medii. Patet vero per se, ingredi in mixtionem herbarum acidum universale, per quod, ut medium inter volatile & fixum, natura compingit & solvit omnia, atque id ipsum plantæ appropriatum absque ignis tortura ingenti quoque evaporari, BORRICHII experimento in *Act. Hafniens.* Th. BARTHOLINI *Ann.* 1671 & 1672. *Obs.* 69. exque hisce in BONETI *Medic. Septentrion.* p. 941. per Gallii lutei flores probatur, qui, recentissime avulsi & subitæ destillationi subjecti exhibent acidum liquorem non expectata fermentatione ulla, quod quidem acidum parcius plantæ nostræ concessum, sufficere tamen ejus destinationi potuit, nimirum ut sali volatili sociatum odoramen præberet ministrante in flore recenti phlegmate, de cetero vero omnibus partibus stabilitatem conciliaret cuique earum convenientem. Nulla quoque hac in causa de sale volatili plantarum nativo superesse dubitatio potest, cum non solum alcali nativum dari jam notum sit omnibus, sed & fosfile sal ammoniacum, testantibus *Act. Lips.* *Ann.* 1682. & porro prolatis a KOENIG *Regn. mineral.* p. 356. quæ ut sal culinarum & nitrum, a vegetabilibus attracta atque digesta, majorem induunt volatilitatem, de qua transmutatione videatur pluribus *l'Extrait des Registres de l'Academie Royale des Sciences de Paris,*
Tour-

TOURNEFORT *Preface de l'Histoire des Plantes, qui naissent aux Environs de Paris*, HENCKELII *Flora Saturnizans*, BOERHAAVE *Elementa Chæmiæ*.

SECTIO III. DE USU LILII CONVALLIUM MEDICO.

Σύνοψις.

- | | |
|---|---|
| §. 1. Usus Floris Lil. Convall. ab experientia & ratione derivatus, in tōno roborando, motibus sedandis, humoribus corrigendis. | §. 9. Febres intermittentes. |
| §. 2. 3. 4. 5. Ex Flore Præparata & Composita varia. Foliorum usus. | §. 10. 11. 12. Tempus Baccam colligendi. Modus asservandi, & exhibendi ratio multiformis. |
| §. 6. Baccæ usus, | §. 13. Usus externus. |
| §. 7. In Epilepsia; | §. 14. Epilogus. |
| §. 8. In variis morbis spasmodicis; Contra Vermes, Acidum & | |

§. I.

Usum rerum experientia formavit, quæ fida magistra & in hac materia unice consulenda est, modum plantam nostram rite adhibendi respicientibus. Sive enim plantæ elementa, sive applicationem eorum consideres, empiriam invenies ubique quæ produxit rationem, exque uno plura discendi monstravit viam. Observarunt autem Medici in floribus, qui ex omnibus plantæ partibus vel maxime in sensu incurrunt, atque hætenus in officinis usitatissimi fuerunt, singularem cum spiritibus nostris convenientiam, qua efficiente labascentes vires refocillare, exhaustos spiritus sale suo volatili oleoso recreare, & animæ quasi addere animam lucem-

Lucemque valent. Proinde exhibuerunt eos variis in morbis, ubi, ex læsa cerebri functione in secretionibus & excretionibus, nervorum & spirituum languor, sanguinis lenti circa caput & pectus remora, hinc debilis illius in partes extimas impulsus, atque ad stases proclivitas occurrit, vel ubi eæ jam factæ, quales sunt apoplexia, paralysis, vertigo, lipothymia, memoriæ debilitas, loquela amissa, artuum tremor, catarrhi, ceteræque motus sensuumque tam internorum quam externorum infirmitates. Imo & in epilepsia, ubi irregularis spirituum motus, violenta partium contractio & succedens relaxatio accusanda est, usus haud contemnendi antispasmodici fuisse deprehensi sunt, per suum potissimum sulfur volatile irritatam naturam ad motuum temperantiam & æqualitatem invitando, peccantemque materiam per amaritiam suam corrigendo, quamvis & hoc in morbo, si hæreditarius, si a capitis mala conformatione ortus, si consuetudine nimium obfirmatus, & in apoplexia naturæ vires sua vehementia superante, similiter ut omnia medicamenta cæteroque utilia, medentium votis non respondeant. Et multum sane ægris prodesse queunt hi flores, vi sua resolvente nervina & analeptica, cum in manibus sunt medici, recte elementa eorum, morborum genium seu indolem, agrorum temperamentum, medendique ^{evnar} ^{giar} perspicientis, nec negligentis reliqua artis præsidia, quæ ex modo dictis formata methodus in quovis individuo observanda esse imperat.

§. II.

Variis modis *Flos* cedit in usum; at notandum, præparata ex eo ob volatilis principii fugacitatem studiose asservari, atque quotannis nova esse debere.

Re-

Recens cum duplo aut triplo sacchari in mortario subactus *Conservae* destinatur, quæ quidem ob amarorem florum ingrator existit, usus vero haud spernendi.

Siccatus vitroque clauso reconditus *inter errhino-ptarmica* primarium obtinet locum, sale suo ut plurimum alcalino mucum glandularum membranæ pituitariæ resolvendo & fibrillas nerveas stimulando, quo sensu molesto vitale principium excitatur ad sal rodens affuso copiosiore sero diluendum, perque sternutationem cum muco ex nasi antris ejiciendum.

Succus ex floribus recentibus rore madidis expressus, vitroque optime obturato asservatus, quia facillime resolvitur & putrescit, viresque suas perdit, oculorum inflammationem sanat atque caliginem. Eadem virtus succo tribuitur, qui instar olei ex floribus eliquatus colligitur, postquam iis repletum vas clausumque menstruo spatio vel ultra in acervo formicarum aut cella defossum fuit, qui ipse quoque in ventris torminibus, ad podagræ dolores, cutisque varia vitia, debita cautione adhibita, esse potest salutaris.

Aqua simplex ex floribus cum rore majali destillata, eademque novis floribus sæpius affusa & per alembicum acta, ob sulfuris abundantiam insigniter antispastica & antepileptica est, valens sedare efferas spirituum commotiones. Recipiendi vero & hic & in aliis aquis vinosis spiritibusque integri flores, si odoris saporisque suavitatem conservare studeas, nam concissi & contusi non nihil crassius quoque sulfur ex suis visceribus dimittunt, quod ipsum tamen, licet naribus linguæque non adeo arrideat, ob vim antispasticam majorem æstimari meretur.

Paratur quoque ex floribus recentibus vino generoso maceratis prævia destillatione & cohobatione *Aqua vinosa* odoratissima & sapidissima, quæ spiritus reficendo egregie naturam roborat, in debellandis infirmitatibus a spirituum inopia oriundis. Componit etiam præterea parte sua volatili sulfurea in morbis, quibus *σπασμώδες* quid inest, cum antecedente aqua simplici spirituum tumultus, atque ita adjumento est naturæ in dirigendis ad justam harmoniam motibus vitalibus.

§. III.

Prostat porro *Spiritus Lili convallium*, de quo HOFMANNVS in *Clave pharmac. Schræderiana L. IV. Sect. 1. §. 103.* admirandam virtutem prædicat, fitque destillando ex succo in quem flores abeunt vase clauso per mensium aliquot spatium in terra sepulti, aut alio loco frigidiori asservati, perque fermentationem internam resoluti. Similem WEDELIVS *Compend. Chym. p. 49.* allegat, quem flores per hebdomadas aliquot in retorta iis ad collum usque adimpleta relictæ, inque putrilaginem redacti, fundunt, phlegmaticum & urinosum, qui vero, ut & antecedens, saporem, odorem viresque plantæ exactius refert, adjectis floribus recentibus rectificatus; quod & valet de spiritu salino volatili empyreumatico, igne arenæ ex floribus siccis expulso, quem idem WEDELIVS *l. c.* proposuit, quive, sine addito novo florum recentium principio volatili, specificæ plantæ virtutis contineret plane nihil. Per abstractionem paratur alius, cum spiritus vini a recentibus floribus, aliquoties eundem spiritum floribus novis addendo, destillatur, qui, virtutibus florum, ex volatili eorum principio ortis, prægnans, decenter adhibitus, in dictis spirituum

rituum vitii tollendis multæ est utilitatis, tam interne, quam externe odoratus organo admotus. Commemorandus quoque hic est spiritus, qui cum additamento mellis vel sacchari per fermentationem impetratur, plantæ viribus spirituque nativo volatili eo instructior, si ab initio processus, loco aquæ simplicis, aqua Lil. convallium in compositionem recipiatur, spiritusque destillatus a novis floribus abstrahatur.

§. IV.

Ad usum externum destinatum est a veteribus Medicis *Oleum*, ex infusione florum recentium cum oleo veteri emergens; sed hoc facile caremus, cum ejus fortis nervina nobis sint multo potentiora, quorumque partes non adeo fugaces existunt. Efficacius est, externe & interne adhibitum, oleum florum æthereum, quod LENTILIUS in *Append. ad Ann. V. & VI. Decur. III. Ephemerid. N. C. p. 117.* ex floribus non contusis una cum suis antheris affuso aquæ propriæ quadruplo docet parare, odoratissimum quidem, sed quia parcius obtinetur, majoris pretii, inque tot ejusdem virtutis oleorum minus sumtuosorum abundantia, laborem non compensans. Tentandum hic esset, an modo, quem Societas Regia Parisiensis proposuit, oleum tertia sui parte augeri possit, digerendo flores in vase optime obturato quindecim vel plurium dierum spatio, additis, ut putredo avertatur, guttulis aliquot olei vitrioli, inque ipsa destillatione floribus novis, sic fragrantissimis oleis & florum nostrorum & Rosarum, Jasmini, Mari veri officinarum & similibus facilius potiremur.

De *Sale volatili* ex floribus penetrantissimo vid. WEDELIUS de *Sale volatili plantarum* p. 259.

ETT

ETTMVLLERVS spiritum post fermentationem ex floribus destillatum, floribus rore matutino adhuc ebriis affundit, exque iis *Essentiam* elicit analepticam, solo spiritu potentiozem.

Laudandum quoque est merito *Acetum Lili convallium*, crebro novis floribus affusum, in spirituum dissipatione ex sanguinis effervescencia nimia vel naribus, vel cum sacculis pulsibus applicandum.

Extractum florum tam siccorum quam recentium cum spiritu vini, ceu effectum rejicit LVDOVICI in *Diss. phurmac.*, nec eundem inficias, volatile oleoso - salinum evaporatione in auras abiisse, residuis solummodo crassioribus amarisque partibus, quas si desideras, rectius ex floribus recentibus, ut & ex tota planta recenti, mense Aprili, antequam flos in conspectum prodit, vino maceratis, extrahes, minime conquesturus operam te lusisse, si extractum hoc, leni igne ad justam consistentiam perductum, aqua propria fragrante affusa ægris exhibueris; de quo vero utili medicamento, quia ex baccis prodit virtutibus præstantius, infra erit locus dicendi commodus.

§. V.

Compositiones varias, errhino - ptarmicorum pulverum ingrediuntur Flores Lili convallium, nec facile invenietur pulvis, cui non vel baseos loco, vel ut ingrediens principale additi fuerint, quorum delineationes multiplices dedere Materie medicæ Scriptores. Deposcunt vero flores nostri desiccati & ob ingratiorem odorem, Nicotianæ odori, ut LVDOVICI *l. c.* monet, similem, & effectum valde stimulantem, qui quidem in radice minor est, additionem congenerum leniorum, cepha-

cephalicorumque, quibus est volatile stabilius, quem ad finem pulveres hi sub usu imbui quoque possunt vel aqua vel spiritu, vel & oleo æthereo Lili convallium. Sumuntur præterea flores, sed rarius, in pulveribus internis cephalicis & antepilepticis, de quibus inter alios vid. CHARAS in *Pharmacopœia Regia*. Aqua & Spiritus omnes fere ingrediuntur aquas antepilepticas & apoplecticas compositas, quibus naturam tam a futuris quam præsentibus malis liberare conantur medici, quales sunt Aqua apoplectica ZWELFERI, WEDELII, LVDOVICI, Aqua hirundinum, carbunculi, epileptica LANGII. ETTMULLERVS Spiritum per fermentationem paratum, uti alii Spiritum Rosarum, adhibet in extractione Essentiæ Ambræ, quæ egregie spiritus corroborat, sicque aphrodisiaca est, auribus tinnitu & surditate laborantibus cum gossypio immissa subvenit, instillataque linguæ in aponia. Misceri potest Spiritus Lil. convallium cum Spiritu Vitrioli Volatili dulci (*) ut medicamentum volatile antapoplecticum emer.

(*) Hoc medicamentum speciosis passim nominibus inclaudit, modo enim e. gr. Panacea, modo Quinta Essentia Vegetabilis audit, fitque sequenti modo: Recipe Olei Vitrioli optime dephlegmati, Spiritus Vini Gallici rectificatissimi, partes æquales; Oleum vitrioli affunde guttatim spiritui vini, destillaque leni igne, sic in vase recipiente duos videbis liquores, quorum superior est Spiritus Vitrioli Volatilis dulcis. Hunc si acido suo adhuc magis privare velis, affunde paulatim sal tartari aqua simplici solutum; sed hoc pacto multum amittitur. Variæ sunt & miræ spiritus hujus proprietates, quas hic recensere longum nimis foret. Hoc

D. Bony, junior so-

emergat; destillati item Lili conuallium liquores, Li-
 quori anodyno HOFMANNI addi, ut spiritus & aqua
 antispastica efficax inde emergant. Prostat quoque in
Misc. Acad. N. C. Ann. VI. p. 36. CNOEFFELII spiritus
 sedativus simplex & compositus, qui substantiæ Lili
 conuallium volatili suas potissimum debent vires. No-
 ta hic quoque LENTILII Sal volatile oleosum ex meth-
 odo JACKSONI paratum *Jatromnemat. p. 374.* De aliis
 vid. KOENIG *R. Vegetab. P. I. p. 901. P. II. p. 176.* Hac-
 que de Floribus nostris attulisse sufficiat; quis enim
 enumeraret plurima illa medicamenta, quæ infirmo-
 rum solatio ex allatis medicis solers novit procreare?

De *Foliorum* usu quid afferat CARRICHTERVS,
 vid. *Cap. I. des Teutschen Kräuterbuchs.*

§. VI.

Transeo ad *Baccam* Lili conuallium, de cujus vir-
 tutibus, quantum mihi innotuere, hac in Dissertatio-
 ne præ aliis plantæ partibus nonnulla afferre constitui,
 exempla quoque, quæ mihi experientia suggesfit, cum *B. L.*
 communicare. Notandum ab initio, paucos esse medi-
 cos, qui ei inter sua remedia locum concessere, &
 a Recentioribus usum illius penitus negligi. Ex Antiquio-
 ribus CARRICHTERVS, sedulus suo modo plantarum
 indagator, non sine multo elogio baccæ mentionem
 fecit, eique eandem, quæ flori adscribitur, cephalicam
 virtutem tribuit. *Joh. POPPIVS* in sanguine purifi-
 cando & temperando pulverem illius commendat
 dra-

solum addo, a nonnullis adhiberi ad Oleum rubrum
 BASILII VALENTINI, seu Oleum Vitrioli dulce pa-
 randum, quod tantis encomiis ornarunt chymiatr.

drachmæ unius pondere exhibitum; in erysipelate tam interne eodem utitur, quam externe cataplasmatibus forma, & theriaca mixtum carbunculis pestilentibus eum mederi asserit, extra pariter applicitum. *Fac.* THEODORVS ut cephalicum medicamentum allegat baccas, saccharo conditas. Nec omnino falli hosce Auctores tam elementorum evolutio, *Se& II.* data, ex observatione analogorum docet, quam ulterius ex ipsius simplicis circumspccta applicatione nata experimenta. Et primo quidem, si elementa respicias, inest baccæ idem, quem flos tenet, spiritus sulfureus salinus, licet fixiore pulpæ acinorumque vestitus compage, ex olei acidi terræque vi, in semine formando magis quam in reliquis plantæ partibus laxioribus efficaci, oriunda; idem ammoniaco suppar sal crassius sternutamenta proritans; eadem pariter, & major adhuc ex peculiari sulfuris salisque crasi prognata amarities. Hinc, si excitare segnes naturæ motus velis, opus erit extractione cum magis volatili salino Spiritu, fixiorem baccæ spiritum elevante, qualis ex floribus impetratur, unde facile aufugit & destillatur, in primis si ei, ut supra dixi, robur majus per fermentationem & novam a floribus recentibus abstractionem, ut & vini spiritu addito, accesserit, vel alio magis composito, junctaque insuper justa portione corrigentis e. gr. Salis volatilis Succini vel Cornu Cervi, aut ex his parati Liq. cornu cervi succinati, aut Solutionis Salis Ammoniaci, Cinerumque clavellatorum. Et talia in forma sicca, pulveri baccarum, hoc in casu apponi quoque possunt. Sin ad sedandos motus efferos intendas animum, bacca, ob copiosum quod continet sulfur, fixioris indolis, per se erit sufficiens. Quæ omnia, & plura alia, baccarum virtutis testimonium perhibentia, ex modo proferendis Icarius patebunt.

§. VII.

In *Epilepsia idiopathica*, a causa ideali vel alia non satis evidenti ortum habente, stato tempore, & nonnunquam ex ordine phasium lunæ recurrente, exceptis iis casibus quos §. I allegavi, beate defunctus Parens meus interdum baccas nostræ plantæ utilissimas deprehendit, nec me ipsum tentantem speratus destituit effectus. Præmissimus, cum ægro necessarium judicabatur, sanguinis detractionem, clysterem emollientem & abstergentem, vel laxans ex cholagogis, ut dicuntur, & melanagogis paratum; e. gr. Centaur. min. Manna, Rhabarb. Helleb. nigr. Senna, cum Mercurio dulci, vel & ex DIPPELII methodo (*) Sale mirabili GLAUBERI, quod, quia

- (*) Methodus Autoris hujus, dum viveret, mihi conjunctissimi, in *Epilepsia* sequens est: Exhibet laboranti ab initio Salis mirabilis GLAUBERI dosim; diebus sequentibus duobus, bis de die, ea hora quæ prandium & coenam præcedit, guttas viginti Elixiris sui acidi polychrestii, vehiculo vel aquoso vel vini dulcis, prout ægri natura requirit; die vero tertio & quarto, circa vesperam, Olei sui antepileptici guttas 30-40. Hæcque medicamenta, si opus, dicto ordine ter quaterve repetit, cum optimo sæpius levamine & restitutione afflicti. *Elixir acidum* hoc est: Recipe Olei Vitrioli rectificatiss. uncias duas, Spiritus Vini rectificatiss. libram unam, misce paulatim, hocque spiritu duplicato in cucurbita vitrea arenæ imposita, sub leni ebullitione, spatio quadraginta octo horarum, extrahe Rad. Valerianæ sylv. uncias duas, Seminis Fraxini unciam unam, Croci Austriaci unciam dimidiam, filtra dein & serva usui. *Oleum antepilepticum* s. animale ita fit: Recipe Olei animalis cujuscunque foetidi, vel ex sanguine aut stercore humano, vel cornu cervi, vel fan-

quia multum aquæ in suum coagulum recipit, magis humectat, & reliquis amaribus salibus præferri meretur, posteaque, ubi fieri potuit, versus paroxysmum dedimus, cum vehiculo aquæ Lil. convallium vinosæ vel ut plurimum simplicis, pulveris baccarum scrupulum unum ad drachmam unam usque, pro ægri ætate, ascendendo, quam dosin quoque, prout ~~esse~~ lubebat, integram, vel partitam, aliquot horarum spatio sumendam concessimus, eque re nata repetivimus, & sic non raro magnum hunc morbum, Deo auxiliatore, sublatum vidimus.

§. VIII.

Cumque tantum valeat efficere in epilepsia, jam non erit amplius dubio locus, prodesse quoque in aliis *Morbis convulsivis & spasmodicis*, ad componendam turbam spirituum animalium, naturæque motus sopiendos, ut & varias morbidas materias, vi sui salis & amaritiei, destruendas. Sic in necandis *Vermibus*, qui sæpe tam in parvulis, quam ætate provectoribus convulsiones

sanguine bovino petiti, quantum placet, terque calce viva recenti semper addita, rectificata ex cucurbita longiore, ut & odore gratius & colore album emergat; qui processus multo brevior meliorque illo est, quem Autor ipse primum docuit in Tractatu: *Vita animalis Morbus & Medicina*; & Joh. JUNCKERVS in *Diff. de hoc oleo, seu Medicina efficacissima in motibus naturæ exacerbatis Hala Saxonum* 1718. edita. Oleum vero hocce, ni optime ab aëris accessu muniatur, uti spiritus cornu cervi, pariter luteum & tandem rubrum colorem facile recipit, novaque rectificatione eget.

nes epilepticas aliaque mira symptomata producunt; egregium baccæ nostræ sunt medicamentum, ob insignem amaritudinem nulli specificorum anthelminthicorum facile cedens, cumque abundet sulphureo principio, id insuper præcipuum habens, ut irregulares motus simul sopiat; sed opus hic est, enectos vel saltem commotos vermes mature interposito laxante aliquo, vel alöetico, vel e mercurio dulci parato, vel salino amaro, quo etiam nomine ex compositis pilulæ Becherianæ correctæ, cum mercurio dulci mixtæ, utilissimæ sunt, ex intestinorum canali proscribere, ne novæ oriantur œconomix vitalis turbæ. In morbis acutis spasticis, inflammatoriis subinde & malignitatem vel veram vel mentitam alentibus, quorum vermes interdum præcipua sunt causa, reliquis diaphoreticis, diluentibus, acidum absorbentibus & resolventibus salinis additus baccæ pulvis, cum euphoria vermes *ἀνω & κάτω* pellit. In *Acido intestinorum nimio*, indeque nata *Bile vitiosa*, unde & *Fæces alvi infantum sæpe æruginosi coloris acerrimæque sunt*, *Sanguinis acrimonia acida*, porro *Colica*, *Torminibus*, *Vomitu*, *Diarrhœa*, *Dysenteria*, sæpissime ex eodem fonte natis, in *Motibus exacerbatis spasmatico-convulsivis Hystericarum & Hypochondriacorum*, quibus fere omnibus in sua spiritali & corporea ataxia de *Flatulentia*, exundante acido, mucoque inde nato, vasa corporis minima, & successu temporis majora quoque, & omnium primo viscera abdominis obsidente, graves sunt querelæ, pulveribus antispasmodicis, absorbentibus & diapnoicis admistus baccarum pulvis exoptato est levamento, si, inter reliqua necessaria, debita quoque ratio habeatur evacuantium, quo casu iterum, laudandæ pilulæ Becherianæ,

JH. Tab. part. p. 845.

rianæ correctæ (*), tam per se, quam Gummi Ammoniaco, aliisque mixtæ, aut cum Liquore Spleneterico SCHROEDERI, ut & Terræ Foliatæ Tartari, vel Spiritu Menthæ, Lil. convall. vel Aqua aliqua spirituosa e. gr. Lil. convall., Cinnamomi, Melissæ, Veronicæ yinos.,
vel,

(*) Ex plurimis præstantissimi hujus medicamenti, ad modum STAHLII correcti, descriptionibus passim evulgatis sequentem composui, qua summo cum fructu hæctenus fui usus, mutata interdum ingredientium proportione, ex intentione medendi:

Recipe Gummi Hederæ. Juniperi. ana unciam dimidiam.
Terebinthinæ coctæ. drachmas duas.
Extracti Myrrhæ. drachmas quinque.
Cochleariæ. Cardui benedicti.
Absinthii. ana unciam dimidiam.
Fumariæ. drachmas tres.
Alöes. drachmas quinque.
Centaurii minoris. unciam dimidiam.
Rhabarbari. Hellebori nigri. ana drachmas tres.

Misce in phiala vel mortario, aquæ calenti immisso, lege artis. Dosis ordinaria pro adulto, scrupulus unus.

Extractum Alöes paratur per triplicem affusionem aquæ fervidæ & subsidentiam, atque in fine admixtionem ad ex. gr. Alöes libram dimidiam, aceti destillati uncia unius, ut resina rite corrigatur & separetur.

Extractum Myrrhæ fit humectando Myrrham aqua fervente & liquore nitri fixi, cujus e. gr. ad Myrrhæ libram dimidiam uncia una additur. Post dies aliquot massa hæc aqua fervente affusa solvitur, & solutio servatur, quæ inspissata sistit Myrrhæ partem gummosam, in vase relicta illius resina.

Hel-

*Caspari D.D.
Hof. p. 345.
Spilarg. p. 1738
4. Dik.*

vel, si res poscat, simplici parato solutæ & guttatim datæ, quo casu cum Elixire Baccarum, infra §. XII. præscribendo, etiam uniri queunt.

§. IX.

In *Febribus intermittibus*, ubi natura vario motuum apparatu in secretionum & exertionum augmentis id plerumque agit, ut liberet abdomen fabur-

ra

Hellebori nigri Extractum ita præparatur: Recipe Fibras Radicis Hellebori nigri recentes, bene exsiccatas & grosso modo concisas, affunde aquam fervidam, digere per spatium unius diei, hancque affusionem & digestionem repete, donec nihil amplius extrahatur. Hæ extractiones unitæ evaporentur ex parte & subsideant, remotaque quæ cecidit resina, opus, etiam affusa nova aqua, repetatur, donec nulla amplius fax ad fundum deponatur, infusumque foetorem amiserit, quod resinæ purum postea inspissatur ad justam extracti consistentiam.

Rhabarbarum sola aquæ fervidæ affusione extrahitur.

Cochleariæ Extractum fit ex herba recente, cum aqua fervida macerando & decantando, dein etiam solícite cavendo, ne, calore majore, quam par est, sal herbæ volatile sub inspissatione abigatur, parsque illius ad fundum cadens ut fex abjiciatur.

Extracta Centaurei minoris, Cardui benedicti, Fumariæ, Absinthii, ex herbis recentibus cum vino parantur, usque evaporando & decantando, dum rite depurata appareant, fexque omnis separata fuerit.

Gummi Hederæ, si purum, in pulverem tantum redigi debet; sin stipitum & baccarum hederæ, aliorumque heterogeneorum nimium admixtum, depuretur aceto vini, & in Extracti formam redigatur.

Gummi Juniperi & Terebinthina cocta in pulveris forma adduntur.

ra onustum materiae indigestae, plus minus tenacis, acida biliosaque, vel in primis viis, vel visceribus, quae vena portae intrat, sedem suam habentis, sub quo ipso labore inordinato multa quoque solet pati, pulvis noster tam in motibus nimis sufflaminandis, quam materia corrigenda, solidisque partibus roborandis, ob suam amaritiam, contentaque salina alcalia & terrestria, praevia decenti corporis per digerentia, incidentia, quibus semper addi potest, & laxantia praeparatione, egregie se gerit, ita ut Cortice Peruviano facile carere possis. Ex bene multis, quae in promptu sunt, exemplis, duo tantum allegabo, ut inde pulveris febrifuga virtus eo magis eluceat. Mechanicus quidam sexagenarius, multorum liberorum pater, morbis articularibus vagis, febribusque tam continuis quam intermittentibus saepius vexatus, postquam varios pro genio alacri in abusu sex rerum non naturalium admisisset errores, sudorem itidem pedum effusum, quo natura ad multa mala ex corpore eliminanda utebatur, ejus pertaesus, aere unto adperso represisset, unde & eunti molestus in hisce partibus pruritus remansit, tempore verno corripitur pedum frigore, pulsu celeri, alvo obstructa, manus in opere suo aquae frigidae immittit, & ad alvum aperiendam, bis de die, drachma dimidia nitri depurati aqua fontana frigida soluti uritur, quod sui oblitus fecit, frigus enim dudum studiose ei fuit vitandum. Haec sequebatur Febris Tertiana, agrum cephalalgia ingenti, & dolorifico in primis spasmo illius pedes afficiens. Die vacuo primo, alvus lei laxabatur. Salis Sedlicensis drachmis sex, & postea die febrili ante paroxysmum utebatur pulvere ex Tartaro vitriolato & pulvere Baccarum Lillii convallium, sudoreque veniente Mixtura ex Ess.

E

Scor-

vid. d. ar. med.
t. 1. p. 492
Laf

Scordii, Vincetoxici, Gentian. rubr. Card. benedicti & Elixire ex Spiritu vini, Terra foliata tartari, Ambra & Oleo Cinnammoni parato composita, quæ duo medicamenta quoque die vacuo alternabat. Post tres paroxysmos excretiones rite se habere, & minui morbus visus est, sicque dedi ante tempus paroxysmi bis pulveris Baccarum Lil. convallium drachmam dimidiam, quo facto febris sublata, & sanitas integritati restituta fuit. Altera observatio in Scrinario viginti annos nato mihi occurrit. Hic, cum in peregrinatione versaretur, corripitur Febre Tertiana, quæ, per diætæ & medicationis vitia, valde anomala & aliquoties duplicata evasit. Sub usu salium digestivorum & infusi Chamomillæ ordinem servavit, pulvisque Baccarum, post febrem & ante tempus insultus adhibitus, morbum omnem depulit.

§. X.

Tempus colligendi Baccam est apud nos mensis September, quo, ut *Sect. I. §. 8.* indicavi, maturefcit. Decerpitur ex omnibus Lillii convallium speciebus, optime autem ex iis, quæ mihi ordine tertia & quarta sunt, utpote quibus ex loco natali major accessit virtus. Rarius quidem invenitur in convallibus, quia nostra tempestate solus flos medicinalis, baccaque neglectui est, quod per se cessaret, si magis observaretur, & in numerum officinalium reciperetur. Baccæ collectæ leni calore exsiccantur, in *Pulverem* rediguntur, hincque vitro clauso asservatur ad usum. Quamvis enim istud ob crassiora Baccæ principia minus necessarium forte videretur; res tamen ipsa me docuit diversum,
cum

cum ex aëris liberi injuriis, quas jugi resolutione & exhalatione partium subtiliorum baccae infert, virium jactura mihi venerit.

§. XI.

Forma pulveris si non arrideat, uti possumus *Conserva* Baccarum cum acinis probe contusarum, aut pulverem *conserva* Florum Lillii convallium excipere, vel alia, quæ magis palato blandiatur, & indicationi respondeat, ut *Conserva* Florum Aurantiorum, Pæoniæ, Melissæ, Papaveris erratici, Paralyseos, Tiliæ, ut & *Sirup*. Pæoniæ, Paralyseos, Valerianæ sylvestris, Cortic. Aurantiorum, Menthæ, Conditaque addere, pro *Boli* vel *Electuarii* consistentia. Pariter *Pilula* ex pulvere, uti solent ex pulvere Rhabarbari fieri, parari queunt, recipiendo ad pulveris drachmam unam, mucilaginis Tragacanthæ scrupulum quasi dimidium, & conspergi pulvere Lycopodii, Liquiritiæ vel Cinnanomi, ut & facilius deglutiatnr pulvis, & sapor illius amarus involvatur. *Trochiscis* item aptus est, si ei Tragacanthæ mucilago jungatur, aut, si Saccharum, *Rotulis*, licet utrumque delicatulis minus gratum futurum sit medicamentum.

§. XII.

Essentia cum Spiritu vini vel & Lillii convallium ex pulvere emergit, quam non ita spirituosam, cum Aqua Lil. convallium vinosa impetrabis. Nec Aquæ communi vel simplici Lillii convallium repugnat, & in eam pari modo tam amaritiam, quam colorem rubrum emittit; quare etiam *Thefforme*, cum aqua simplici paratum *Infusum*, tam ex Floribus quam Bacca in pulverem redacta, non contemnendum est, si quidem ægri saporum non horreant. Namque natura ita hoc in fructu tem-

peravit sale sulfur, ut facile omnibus se socient liquoribus, integra servata virtute nativa, modo illi non fuerint efficacissimi alcalini acidique saturati, ut *Sect. II. §. V.* habuimus. Et cum tam facile resolubilis sit virtus illius, tamque promte cum massa humorum nostrorum communicetur, hinc etiam inter reliqua remedii utilitas cognoscitur. Ex bacca recenti, acinis bene contusis, cum vino &c. *Extractum* paratur, quo multis in morbis cum successu licet uti, soluto Aqua Lil. convall. vinosa vel communi, & addita Terra foliata vel tartari vel salis nitri, ut inde fiat *Elixir* antispasticum & magis aperitivum, hunc in modum: Recipe Extracti Bacc. Lil. convall. drachmam unam, Arcani Tartari tantundem, Aquae Lil. convall. drachmas sex. M. Dosis gutt. 30. 60. vel ultra. Misceri, si libitum Medico fuerit, pro morbi habitu, hæc solutio potest aliis salibus e. gr. Oxyfale diaphoretico *Angeli SALÆ*, Sale mirabili *GLAUBERI*, Sale *SEIGNETTE*, Sale Cardui benedicti, Salis Ammoniaci floribus, vel hisce etiam adjici salis alcali fixi non nihil, ut eo volatilius evadat pharmacum, e quibus & ipsis similibusque pulveri mixtis, addita aqua, per digestionem *Elixir* aliquod extrahere licet. Maxime tamen omnium hic probatur Tartari Arcanum, vel Terra Foliata Tartari *MVLLERI* (*), a qua nihil fere differt
Oxy-

(*) Optima, quantum sciō, hujus salis præparatio est sequens: Recipe Salis Tartari bene calcinati & sicci, quantum placet, inque vase ferreo super ignem acetum vini affunde tandem, donec cesset strepitus omnis, & acetum sentias ita acre evaporari, ut affusum fuit. Tunc sal hoc exhalando ad siccitatem perductum in crucibulumingere, leniterque calcina, dein aqua solutum & per filtrum a
car-

Oxval diaph. A. SALÆ, quæ diligenter elaborata, linguæ sensum caloris infert, ad aërem liberum diffuit, ad ignem ut oleum liquefit, acidis atque alcalinis solutionibus, ut & tam spirituosus quam oleosis & aqueis medicamentis sine pugna ulla additur, residua solummodo pauca terræ portione, quam, sicut & aliis salibus sub solutione & miscela varia familiare est, ex sua compage ad fundum dejicit. soleo hanc ob causam sal hoc, sali plantarum naturali persimile, in omnibus morbis tam acutis quam chronicis, ubicunque sanguinis resolutione & depuratione opus est, mixturis aqueis, spirituosis, essentiis &c. adjicere, essentias item & elixiria spirituosas, quia oleosum omne & activum in se recipit, cum eo extrahere, sicque obtinere medicamenta temperata, magis efficacia, naturæque nostræ magis homogœna, quæ & multum debilitatis ob tenuitatem & temperatam indolem partium profunt, atque sine præcipitatione, omnibus fere aliis admisceri queunt. Tale est Elixir Baccæ Lillii convallium Spirituosum, quod e Baccæ pulvere fit digesto cum Spiritu Vini rectifi. vel hic melius cum Spiritu Lil. convallium, qui, priusquam ad hoc opus recipitur, tantum imbibit terræ foliatæ, quantum capere potest, & alias Liquor terræ foliatæ tartari spirituosus audit, vel Aquosum, quod eodem modo fit cum Liquore terræ foliatæ tartari aquoso, quem aqua Lil. convall. vinosas vel simplex, terra foliata læta, constituit. His si jungas e renata & pro agrorum temperamento vel magis vel minus

carbonibus liberatum, leni igne in vase vitreo coagula; Sic levissimum & albissimum nactus es sal mediæ naturæ, violorum sirupum nec rubrum nec viridem reddens, vitro bene clauso ab aëre defendendum,

nus calido e. gr. Spiritum Vitrioli volatilem dulcem, Spiritum Nitri dulcem, Liquorem anodynum HOFMANNI, Spiritum Cornu Cervi essentificatum, Liquorem Cornu Cervi succinatum, Spiritum Cochleariæ, Sal volatile oleosum SYLVII, Camphoræ nonnihil &c., habebis medicamentum vere polychrestum, motibus tam nimiis, quam deficientibus medelam afferens, humorumque vitia, tam augendo partem oppressam, quam abundantem ejiciendo, tollens, & naturam ad harmoniam sanitatemque invitans.

§. XIII.

Postremo de *Vsu Externo* adhuc monendum, posse Pulverem Baccarum cum fructu Epithemata sicca, ut Cucuphas & Sacculos ingredi, in Morbis Cephalicis, Erysipelate &c., Spirituque florum aut Aceto, morbo poscente, conspergi, addita quoque Camphora aliisque similibus. Variis pariter in læsionibus addi potest Foribus humidis vinosis, nervinis, resolventibus & dilcutientibus, imo & Cataplasmatibus resolventibus. Ut sternutamenta evocans inter Errhina medicamenta locum suum obtinet, ceu *Seç. II. §. 3.* vidimus, & ob sal suum fixius, ammoniaco, quod & ipsum errhinum est, simile, potentius adhuc sistit pharmacum, illo, quod ex floribus in pulverem comminutis prodit, quare in pulveribus errhino-ptarmicis compositis adhiberi suo jure meretur, ut mucum narium colligans & expellens præstantissimum. Observandum vero, ut horum pulverum usus non nimium prolongetur, ut in phlegmaticis potius adhibeantur & quibus natura ad catarrhos prona est, inque horum sine, quam in cali.

di.

dioribus subjectis, & in iis, qui ad largas hæmorrhagias
 narium inclinant, aut quibus aliis ex causis ptarmica
 applicare minus convenit, quo bene formata diagnosi
 bene cedat curatio, nec, ut in Arte nostra sæpe fieri
 solet, medicamenti culpa accidisse pronuntiemus, quod
 abufui imputandum est. Sicque, prout exigit morbi
 ratio, Pulvis Baccæ modo magis vel minus Herbis, Ra-
 dicibus, Seminibus aliis temperari, Saccharo, Oleis
 destillatis cephalicis, ceterisque hic usitatis odoram-
 tis misceri potest, vel imbui Bals. vitæ HOFMANNI,
 Aqua & Spiritu Florum Lil. convallium &c., id quod
 prudentis medici directioni relinquatur.

§. XIV.

Tantum est, quod data hac occasione, de eupori-
 sto nostro vegetabili, habui ex curta mea supellectile
 proponere. Brevitati studui; voluique paucis indica-
 re utile medicamentum, & allatis adhuc plures, si ma-
 gis inquiras, ostensurum vires, quo utaris ad DEI ho-
 norem & morbidorum salutem. Errores, si qui forte ir-
 repere, meæ fragilitati ascribendi; hisce autem bene-
 vole ignoscetur ab iis, qui norunt se ipsos, mecumque
 perpendunt, quam difficile sit humano ingenio, opera
 DEI explicare, ita ut, pro schemate totius orbis hujus
 perituri, fluxa, mutila & manca semper proferre co-
 gamur, ubi unquam deest divinæ veritatis influxus.
 Omnis enim, etiam sapientissimi cujusvis hominum,
 scientia imperfecta est, quod agnovere omnis ævi
 omniumque populorum veri Sapientes, quibus in spi-
 ritu luxit melior lux Omnipotentis DEI, qui solus ne-
 scit errare, cui soli omne verum & bonum in nobis &
 extra nos, lausque omnis tribuenda, Ab eo solo in
 spi-

ritu totum pendere, rebus agendis vere idoneos in omni vitæ genere reddit, & medicum bonum quoque unice instruit, ita ut jure optimo LENTILIVS in simbolo suo dixerit: Aut pius, aut medicaster; HIPPOCRATEM hic fecutus, qui Medicum requirit vere philosophum & Deo æqualem, id quod absque divini genii energia fieri nequit. Hic, ubi sanitatem ægris decrevit, suo, inter ceterorum tenebras, conjecturas & menda, viam in occulto patefacit, & ea demonstrat, quibus ad optatum finem pervenitur, nec unquam deest, si consilio, si auxilio opus. Præter Deum audentes medicinam facere, carnifices vocandi merito, qui libera voluntate a Deo deficientes torquent, dilaniant & jugulant, ut operibus suis his in infernis fatigati, ad DEUM redeant, fontem sanitatis spiritus & corporis. Hæc non ignorant, qui DEI justitiam in spiritu experti fuerunt, hancque studiose colunt, quia ei servire summa libertas est, sicque caventes peccata, cavent & morbos, nec excidentem ex DEI manibus, necessitate premuntur incidendi in hominum manus, honorandique medicos, quorum remedia sæpissime sunt malis pejora. Et si quando accidit, & hos ex incuria labi morbosque nancisci, illico sese in corde ad Summum Medicum DEUM recipiunt, qui percussit, & optime novit eos sanare legibus suis, quæ sequentibus salus & vita sempiterna sunt, in hoc & futuro mundo; hicque ipse dignos ad externa remedia & medicum adducit, si ei utile visum fuerit, providetque, ne iis & cum morbo & cum medicina pugnandum sit. Atque ita Seipso nos beare dignetur
ALTISSIMVS, in **FILIO** suo, per **SPIRITVM**
SANGTVM, ut simus ab omni parte beati!